

vel quo incontinentes copulantur, non est bonum Id quod bonum habent nuptiae, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est: fides, proles, sacramentum. In fide attenditur ne, praeter vinculum coniugale, cum altera vel altero concumbatur; *in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur . . . »*

Aliis verbis: Unus est actus copulae tum coniugum tum incontinentium; istorum concubitus est malus, non illorum. Ratio discriminis est, quia incontinentes vago concubitu indulgentes de suscipienda prole non curant, dum coniuges ad eam, si advenerit, *amanter suscipiendam, nutriendam, pie educandam* attendunt. In hoc sistit bonum matrimonii, quod dicitur prolis.

Porro ex huiusmodi bono ita enunciato utique non resultat essentiam impedimenti impotentiae sitam esse, apud mulierem, in impotentia non solum ad copulam, sed etiam ad generandam prolem.

«Ab actu seu ab effectu matrimonii proprio desumendum est, in quam rem sit eius potentia et causalitas, et consequenter in quam re impotentia reperiatur, quod in primo quaesito inquiritur.

«Porro actus matrimonii proprius non est alius nisi actus per se aptus ad generationem et generatio ipsa secuta effectus eius proprius est.

«Impotentia igitur matrimonii est impotentia ad generationem.»

Respondemus distinguendo maiorem:

Ab actu matrimonii proprio, qui in generationis oeconomia est primus atque unus ab homine eliciendus, cum «caetera sint Dei», h. e. a coniugali copula desumendum est, in quam re impotentia reperiatur, prout in quaesito inquiritur: *Concedo maiorem.*

Ab actu coniugalis copulae atque insuper a caeteris operationibus, natura duce, copulam consequentibus atque feminis propriis, desumendum est in qua re impotentia reperiatur, *Subdistinguo*:—impotentia *physiologica* feminarum ad generationem, *concedo*; impotentia *canonica* matrimonio dirimens, *nego*.